



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Ethicè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

pari modo invidus semet consumit, & mœrore tabescit, cùm non invenit, quibus dentem infigat, quosque laceret. Et hæc de imagine Invidiæ ab Ovidio luculenter expressa.

SYMBOLUM XLVIII.

Miræ Protei transformationes.

8. *Metam. 4. Georgic.*

Ethicè.

1. Homo inconstans. 2. Vir prudens & politicus. 3. Sycophanta pseudopoliticus. 4. Homo vitiosus, & hæreticus. 5. Item diabolus indicatur per Proteum. 6. Homo arbor.

Proteus Oceani & Tethyos filius, armentorum Neptuni, hoc est, phocarum seu vitulorum marinorum pastor, marisque deus. Vehitur & pervagatur per æquora pedibus & curru, quem trahunt phocæ, quas Virgilius 4. Georg. vocat bipedes equos,

----- magnis qui passibus æquor

Et juncto bipedum curru metitur equorum,

Namque aquatiles illæ belluæ priore parte equum, posteriore piscem referunt, vocanturque *Hippocampi*. Est autem Proteus etiam *vates*, qui novit omnia.

Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Nihil tamen edicit, nisi constrictus vinculis, & coactus. Sed quis vinciat eum, versipellem, & mille dolis versabilem? Dum teneri putatur, in alias atque alias formas vertitur, & elabitur: nam ex sene abit in juvenem; ex homine in tigridem, draconem, leonem, aprum, taurum, ignem, aquam, arborem & lapidem. Describit eius mutabilitatem Ovidius.

Sunt quibus in plures jus est transire figuras:
 Vt tibi complexi terram maris incola Proteu:
 Nam modò te juvenem, modò te videre leonem;
 Nunc violentus aper: nunc quem tetigisse timerent,
 Anguis eras: modò te faciebant cornua taurum;
 Sæpe lapis poteras, arbor quoque sæpe videri.

Inter-

Interdum faciem liquidarum imitatus aquarum
Flumen eras : interdum undis contrarius ignis.

Et Maro 4. Georgic.

Verum ubi correptum manibus, vinculisque tenebis ;
Tum variae illudent species, atque ora ferarum
Squamosusque draco, & fulva cervice laena :
Aut acrem flammæ sonitum dabit : atque ita vinculis
Excidet, aut in aquas tenues dilapsus abibit.

Cyrene Nympha marina, filio suo Aristæo, luem & interfectionem
apum lamentanti, & causam ejus pestis ignoranti, hoc consilium dedit :

Sed quantum ille magis formas se vertet in omnes,
Tantum, gnate, magis contende tenacia vincula,
Donec talis erit mutato corpore, qualem
Videris, incepto tegeter cum lumina somno.

Adolescens obsecutus parentis monitis, ejusdem ductu penetrat in
speluncam Protei, sub aquis abditam ; offendit somno correptum ; nexi-
bus eum ligat, firmiterque tenet tamdiu, donec is expergefactus, post
assumptas varias figuras, denique rediret in humanam, ederetque ora-
culum : extinctas fuisse apes à Nymphis silvarum, in ultionem Soda-
lis suæ *Eurydices*, quam ipse conjecisset in fugam tam præcipitem, ut
eurrendi studio, serpentem non viderit latentem in herba : cujus mor-
su interierit, non sine luctu & planctu miserabili omnium Nympharum,
præsertim conjugis Orphæi. Quibus dictis Proteus in mare desiliit, &
Aristæum suspensum reliquit. At non deseruit eum Cyrene mater ; hæc
intellecto oraculo, filium docet, qui expianda mors *Eurydices*, & pla-
candæ Nymphæ : erigeret quatuor aras in luco, & octo tauros, toti-
demque juvenas mactaret : aris imponeret : corpora cæsarum pecu-
dum in luco relinqueret, post novem dies reviseret. Quod ubi fecit,
ecce apum examen ingens è putrefactis boum costis evolavit ad proxi-
mam arborem, & racematim è ramis pependit.

Ethica.

I. Nontam multas in formas sese vertit Proteus, ut non plures
excogitari possint explicationes morales. Omitto, quæ de arte magi-
ca, saltatoria, materia prima, aliisque à doctrina morum remotioribus
sentis, à quibusdam traduntur, per Prothei mutationes significata. Ea
quæ

quæ ad mores pertinent, tam sunt multiplicia, ut mihi illud Horatianum epist. 1. lib. 1. exclamare libeat:

Quò teneam vultus mutantem Protea nodo?

Nemini ignotum est adagium: *Proteo mutabilior*; quod in vafrum & versipellem hominem convenit, ac inconstantem, seque pro tempore vertentem in omnem habitum. (a) Qualem Martialis lib. 2. epig. *ardelionem* appellat, desultorium scilicet, & præcipiti ardore incipientem multa, prosequentem pauca: plurima agendo, agentem nihil. Huic simile proverbium: *Chamaleonte* (palmari animalculo, Pierio teste, contra Plinium) *mutabilior*: affine utrique: *Vertumno inconstantior*. Hic se in *messorem, aratorem, frondatorem, militem, piscatorem*, aliasque formas convertere noverat, ut Ovidius scribit lib. 14. *Metam.* Exprimatur imago hominis instabilis & vagi, qui in nulla sententia permanet, sed arundinea levitate, modò in hanc, modò in illam partem impellitur, incogitans, imprudens, malè sanus: repentiè laudat, quod vituperavit: & ab eo dissentit, cui paulò antè assenserat: citò tristis, citò lætus; mox alter Cato, subitoque histrio: quolibet vento, ut petalon in tectorum culmine, versabilis; jam cum Proteo rotus ardor & ignis; jam merum frigus & aqua, illud unum habens constantiæ, quod semper sit inconstans.

II. (b) *Mythologus* lib. 8. c. 8. per Proteum, virum Prudentiæ virtute, & animorum tractandorum peritiâ præditum intelligit; Ego, inquit, virum fuisse prudentem putaverim, & in conciliandis, conservandisque amicitiiis callidissimum, in temperandis animorum motibus, ac moribus ad omnes rerum eventus cautè formandis, solertem. Quis enim nesciat, nihil magis necessarium esse, vel in administratione civitatum, vel quotidianâ consuetudine, quam varietatem ingenii, quæ confert plurimum ad omnes opportunitates ac rerum vicissitudines? oportet igitur virum prudentem, quoniam non omnes iisdem studiis delectantur ac capiuntur, per varias formas se in hominum amicitiam ingerere, ac variis utri rationibus in Civitatum administrationibus, quoniam alii eventus clementiam, alii severitatem Judicis requirunt. Sic enim Proteum modò fieri ignem, modò aquam intelligendum est: & modò fructiferam arborem, modò crudelem feram propter præmia justitiæ ac supplicia. Hæc ille. Neque hoc ad publicos duntaxat magistratus pertinet, sed privata quoque prudentia servire debet *Scenæ & Tempori*, rebusque præsentibus se accommodare: quod dicitur *uti foro*, & , utcum-

L I

que

(a) *Homo inconstans.* (b) *Vir prudens & politicus.*

que se fortuna obtulerit, ita animum applicare. Quò pertinet illud Græcorum adagium: *πολύπιδος ἴσθι*: *Polypi mentem obtine*. Quo jubemur, pro tempore alios atque alios mores, alium atque alium vultum sumere; nam piscis hic cuicumque petra adhæserit, eius colorem corpore imitatur, ne queat deprehendi. Unde versus:

Se quibus admòvit, saxa colore refert.

Abfit autem hinc fœda adulatio omnibus assentandi: aut fluxa fides ex ancipiti temporum mutatione pendens; quos homines Sacra scriptura *Stultos* vocat, *instar Luna mutabiles*. Sed indicatur honesta quædam ratio, quâ viri boni, nonnunquam alienis moribus obsecundant, ne vel odiosi sint, vel prodesse non possint: aut ut è magnis periculis semet, aut suos eximant. Quemadmodum fecit Vlysses apud Polyphemum multa simulans; apud procos mendicum agens; unde ab Homero vocatur *πολύτροπος*, multiformis, multiplex; quòd pro re nata sciret se in omnes fortunas ac rationes vertere. Ita Brutus stoliditatem & David insaniam simulavit. Quin D. Paulus Apostolus sanctâ quadam astutiâ gloriatur, quâ omnibus *omnia factus sit, ut omnes Christo lucrifaceret*.

III. (c) Quamquam nihil verat in notandis vitiis usum adagii, mutationesque Protei, quod indicavimus, latius trahere, nempe in homines versatili quodam ingenio natos, qui talem ubique perionam induunt, quales sunt ii, cum quibus contingit agere. Quod genus eleganter describit Plautus in Bacchidibus: *Nullus, inquit, frugi esse potest homo, nisi qui bene & male facere tenet. Improbus cum improbis sit: harpagem, cum furibus furetur, quod queat. Versipellem frugi convenit esse hominem, peccus cui sapit; bonus sit bonis, malis sit malus. Vicunque res sit, ita animum habeat.* (d) Proteum etiam Clemens Alex. lib. 3. Pædag. traducit ad homines omni vitiorum genere imbutos. Et sanè convenienter. Nam quot scelera peccus insident, tot in eo bestia stabulantur, & terribili vagitu, fremitûque ferociunt. Et sicut ignis & aqua insitis dissidiis pugnant invicem, ita vitia inter se discordia, infestant & exagitant pravum animum, nec quiescere sinunt, qui jam flammæ instar in audaciam & iram exardescit: mox instar undæ mollitiæ & luxu diffluit; jam in arborem fructiferam per meliora proposita assurgit: mox in lapidem per socordiam & ignaviam iadurescit.

IV. (e) S. Hieronymus Jovinianum lib. 2. Proteum vocat. *Quis enim nescit hæreticorum astutias & fallacias in opinionum varietate ac inconstantia?*

(c) *Sycophantia pseudopoliticus.* (d) *Per Proteum homo vitiosus significatur.*
(e) *Item hæreticus.*

stantia? De quibus Apostolus 1. Tim. 6. Occupantur circa quaestiones & pugnas verborum; ex quibus oriuntur invidia, contentiones, blasphemiae, suspensiones male, confictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate privati sunt, existimantium quæstum esse pietatem. Dum scilicet falso Religionis veræ prætextu novas sectas & doctrinas comminiscuntur, & eas simplicibus non sine quæstu improbitatis ingerunt; de quibus repeti possit, quod M. Tullius in 2. Philipp. M. Antonio objecit, qui duo millia jugerum campi Leontini Sext. Clodio Rhetori assignavit, & quidem immunia, ut pro tanta mercede nihil sapere disceret. Proteo sanè, & polypo quàm simillimi sunt Novatores isti, qui in omnes se colores vertunt, præter rubrum & album: nam nec fronte erubescere, nec pectore sincero candescere possunt. Negando, ajendo, omnes formas assumunt, & contrariis inter se dogmatibus ac opinionibus conflagunt. Quorum hoc opus unicum, ut captiosis, ambiguis, implexis, fallacibus verbis, ratiociniis, tergiversationibus illaqueent & decipiant auditorem, & mille cavillationibus evertant ac pervertant doctrinam sanam. Quibuscum frustra clamando certes, nisi eos ad disputandi formam, legemque revoces, & quasi quibusdam Dialecticæ vinculis (quam ipsi cane peius & angue oderunt) constringas (quod Aristæus Proteo fecit) itaque premas, ut se movere non queant, coganturque verum vel inviti fateri: non absimiles orcinis spiritibus, à quibus nolentibus adjurationes Ecclesiæ veritatis confessionem extorquent. Contra eiusmodi hostes, tot formis varios, tot dolis versipelles, tot mendaciis versatiles, non expeditum est pugnare. Contra juvenem te instruis; quid facies si invenieris Leonem? Leonem cogitas occurrere, obviam fit tibi aper. Hostem te putas manibus tenere? Lubricum tenes anguem. Si contra anguem baculo te armas, mox anguis iste in taurum excrescit, & baculo tuo cornua obvertit. Securim stringis, ut taurum ferias? mox vertitur in saxum, & lapidem feris, qui aciem ferri tui obtundat; sed & alia instruis contra lapides arma? In ictu oculi fit arbor, ut lignum sit, quem lapidem esse existimasti. At contra lignum cum igne venis? Iterum in casum: nam ignem igne non perdes, vertitur enim Proteus etiam in ignem. Ergo superest, ut aquis ignem interficias. Sed & dum fers aquam, aquam invenis, in quam ignis repente est commutatus. Quid igitur aquam aquæ addes? Tantum est negotium in varietate fraudum & mendaciorum, non hæreticorum tantum, sed etiam Pseudopoliticorum, & omnium illorum, qui verutis, fallacis, offucis, vaframentis, logis, fucis os aliis sublinere gaudent.

V. (f) Proteum exactissimè refert diabolus, qui meritò *panurgus*, & mille fraudum artifex appellatur. In omnes se vertit formas, etiam in angelum lucis 2. Cor. 11. Quos non fallit ut juvenis, decipit ut senex: & in pede lædit, quem non potest in capite vulnerare. Quod quàm sedulò observet, vel in uno Jobo apparet. Hunc enim, quem prosperitas non emolliverat, variâ tempestate jactavit. Primò in boves arantes & asinos pascentes grassatus, in abigeum se vertit. Mox latro de prædone factus, servos ejus occidit. Eodem pœnè momento in ignem transmutatus, & oves & pastores combussit. Mox in camelos impetum fecit per turbas Chaldaeorum. Quid amplius? ventum se fecit, ut domum concuteret, filiosque, & filias ejus opprimeret epulantes. In pestem quoque abiit, & innocentem *percussit ulcere pessimo, à vertice usque ad plantam pedis*. Denique in uxorem ejus migravit, & usque ad animæ medullas linguæ suæ virus trajecit. Quid, quòd Avernalis iste Proteus artibus suis dolosis Christum ipsum circumvenire tentavit: quem post quadraginta dierum jeunia, non tam panibus, quàm lapidibus petivit; nunc pinnaculi præcipitio sollicitavit; nunc ostensis omnibus regnis mundi ad idololatriam allexit; eumque jam gulâ, jam fastu, jam cupiditate rerum terrenarum oppugnavit. Usque adeò nemo securus est ab infestationibus Stygij hujus Protei.

VI. (g) Proteo in arborem fabulosam mutato addamus, eruditionis causâ, historicam arborem ambulantiem, de quâ Joannes Bisselius Dec. 2. Ruin. III. in Orpheo. Nostra quoque memoria, inquit, bello, quod Moscos inter ac Polonos gestum est ad Smolenskum urbem, fuit è speculatoribus Sarmatis, qui nuntii functus officio, de Polonis ad Moscos, & ab his ad illos, ultro, citroque commearat; inusitatæ fraudis ingenio semper incolumis, & hostilibus castris indeprehensus. Nam, ut multa, pæupertas excogitat, pretij spe propositâ, cum is aliter nisi ponè stationes ac vigilias adversariorum, iter facere non posset ad mandata perferenda: frondibus arborum semper virentium corpus suum universum à summo capitis, ad summos usque pedes circumtextit; brachijs etiam ad lumbos diligenter adstrictis. Circum humeros autem & scapulas per ambitum, ut in arboribus natura fert, aliquanto latius ramos diffuderat: donec sensim supra capitis verticem coirent in cacuminis figuram. Hoc ille cultu tali, magnam ausus & periculi plenissimam functionem, noctibus ambulabat totis, ut hominem hunc, quisquis obivus in eum incidisset, spectrum credidisset arboreum, aut mobiles quas-

(f) Item diabolus. (g) Homo arbor.

dam præstigias. Sed is quoties appropinquantium vel tenuem sensisset strepitum, sistebat gradum, ne quando deprehenderetur. Periculò depulsò repetebat iter, ad usque diluculi primum splendorem. Tunc enim (rem difficilem, sed homini salutis suæ sollicito necessariam!) diebus totis ab ortu solis ad occasum usque subsistebat; ubicunque camporum, eum hora stationis obruisset. Ibi velut arbuscula solitaria sine motibus ullis humanis stabat, quoad ei nox & tenebræ recurrentes, viæ repetendæ tutiorem facultatem reportassent. Sic hujus tandem operâ tali, solertiâque, multum est ad rei summam promotum. Hæc ille. Quid non potest ingenium cum insigni audacia coniunctum? Nec unus Proteus, vel arbor fuit, vel sub arbore latuit. Cristatus ille serpens ex arbore aut subter arborem in paradiso venenum suum diffudit, primamque matrem vafricie suâ in fraudem induxit. Marci 8. cæcus ad primos redeuntis luminis radios exclamavit: *Video homines velut arbores ambulantes.* Multi ut testiùs decipiant, arbores imitantur, folia sua ad diversos ventos inflectentes; rident cum ridentibus, flent cum flentibus, sed sicut crocodili, fictis obsequiis viam ad nocendum muniunt. Non procul Malaca arborem dicunt nasci, cujus radices, cum multæ sint, in varias dispersæ partes, diversos sortiuntur effectus. Quæ enim ad Orientem spectant antidotum præbent adversùs quodlibet venenum; quæ vergunt ad occasum, præsentissimum propinant toxicum: Idem agunt fallaces Protei. Instar Protei formas induit varias Periclymenus, filius Nelei, frater Nestoris. De quo narrat Hesiodus, ipsum beneficio Neptuni avi, non modò in aquilam, sed etiam in apem, formicam, muscam conversum fuisse, quæ cum aculeum Herculi fixisset, clavâ ab eo interfecta est. Mythol. lib. 8. c. 8. Est autem musca secundùm Pierium importunitatis, impudentiæ, ac indocilitatis Symbolum, cujus audaciæ Homerus meminit in Deorum prælijs. Ubi nota, quantum molestiæ & negotij facessant etiam minuta animalia, hoc est puerorum frustra, vix virgis aliquando, sed clavâ, domanda. Inter mirabiles & multiplices transmutationes Aristophanes etiam Empusam ponit, quæ modò mula, nunc bos, nunc lapis, nunc vipera, nunc formosa est femina, uno tantùm incedens pede, & miris modis in altum crescens & decrescens, unde adagium: *Empusâ mutabilior.* Quid spectrum hoc significet, tu ipse conjice, & vide Symbol. 101, in Ethica. num. 2.